Clemens episcopus servus servorum dei dilecto filio Vincentio Carachia Canonico Casalen. Salutem et apostolicam benedictionem. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnes Canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica apud sedem apostolicam tunc vacantia et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre reservavimus Decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum Canonicatus et prebenda ecclesie Casalen. per liberam resignationem dilecti filii Aloisii de Cerlinis nuper ipsius ecclesie Canonici de illis quos tunc obtinebat per dilectum filium Johannem Antonium de Blandrate clericum Casalen. dioc. procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte factam et per nos admissam apud sedem eandem vacaverint et vacent ad presens nullusque de illis preter nos hac vice disponere potuerit sive possit reservatione et decreto obsistentibus supradictis. Nos tibi qui ut asseris perpetuam Capellaniam ad Altare beate Marie Magdalene situm in dicta ecclesia inter alia obtines premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes teque a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes necnon omnia et singula alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines et expectas ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit quecumque quotcumque et qualiacumque sint eorumque ac dicte Capellanie fructuum reddituum et proventuum veros annuos valores ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes Canonicatum et prebendam predictos quorum et illis forsan annexorum fructus redditus et proventus Viginti quatuor ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum ut etiam asseris non excedunt sive premisso sive alio quovismodo aut ex alterius cuiuscumque persona seu per similem dicti Aloisii vel cuiusvis alterius resignationem de illis in Romana Curia vel extra eam etiam coram Notario publico et testibus sponte factam aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent etiam si tanto tempore vacaverint quod eorum collatio iuxta Lateranen. statuta Concilii ad sedem predictam legittime devoluta ipsique Canonicatus et prebenda dispositioni apostolice specialiter vel alias generaliter reservati existant et super eis inter aliquos lis cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa dummodo eorum dispositio ad nos hac vice pertineat cum plenitudine Juris canonici et annexis huiusmodi ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis etiam providemus Decernentes prout est irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attemptari. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri aliisque Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie statutis et Consuetudinibus etiam Juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices predecessores nostros et nos ac sedem eandem etiam per viam generalis Legis ac initi et stipulati contractus et Consistorialiter ac Imperiali Regia Epali vel alia quavis instantia intuitu vel respectu et cum quibusvis verborum formis [illegible] preservativis exceptivis restitutivis declarativis mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis confirmatis et innovatis quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut certa exquisita forma servanda foret et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit illorum omnium tenores presentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis necnon modos et formas ad id servandos pro in individuo servatis habentes hac vice dumtaxat illis alias in suo robore permansuris harum serie specialiter et expresse derogamus Contrariis quibuscumque. Aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in dicta ecclesia in Canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant. Seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel Legatorum eius litteras impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum quibus omnibus te in assecutione dictorum Canonicatus et prebende volumus anteferri sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Canonicatuum et prebendarum seu beneficiorum aliorum preiudicium generari. Aut si Venerabili fratri nostro Episcopo ac dilectis filiis Capitulo Casalen. vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de Canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et Consuetudinibus dicte ecclesie solitum Juramentum dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesseris corporaliter illud prestes. Nos enim tecum ut una cum Canonicatu et prebenda predictis si illos vigore presentium assequaris Capellaniam predictam quoadvixeris retinere libere et licite valeas Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis ac supradictis etiam ut prefertur roboratis statutis et Consuetudinibus ceterisque contrariis Nequaquam obstantibus auctoritate apostolica predicta tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus Proviso quod Canonicatus et prebenda et Capellania predicti debitis propterea non fraudentur obsequiis sed illorum congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis collationis provisionis decreti derogationis voluntatis et dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo tricesimo Sexto Kl. Maii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Jul.

A. de Castillo
A. [illegible]

Expedita Duodecimo Kl Augusti Anno Septimo
Pe. Attavantis pro Magius

o. Damp[illegible]
L. Vitali
A. Ang. Cuccus

N. Mutin
Jus [illegible]

Jus. [illegible] [illegible]

Morbio
25 (3)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1869709381-11/fragment/page=0001

1530 26/IV

Anno incar[natio]nis d[omi]ni m°d°xxx die xix Julij

R[egistra]ta ... [illegible]

p[er] Jo. ... [illegible]

F

Alenett

Morbio 25 (3)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1869709381-11/fragment/page=0002